

DE SUCCINO

rare & concludere possit. Cum itaque succinum ex pingui materia constet, omnes pinguium succorum differentias exploremus, quæ ad tres ordines vel classes referri possunt. Nam quæ pinguescunt, aut ex animantibus & ipsorum partibus orta esse, necesse est, ut *σέαρ, τιμελή* (id est, seuū, adeps) & medulla ossium: aut ex succis resinisue arborum vel plantarum: aut ex terre succis pinguioribus: præter quas tres differentias haud quisquam plures ostendere poterit.

De animantium sanè tam terrestrium quàm aquatiliū pinguedinibus certò constat, tam experientia quàm rationibus, nunquam eas in tantam duriciem coire posse ut lapidescant. calore enim attenuantur & magis funduntur, quàm ut inspissentur, quo cūque elixationis vel assationis genere usus fueris; frigore verò cogi & condensari multò minus poterunt, cum ex calida, tenui, & aërea substantia cōflata

flata